



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xxx [i.e. xv]. Auditus organum est auris, fitq[ue] aufutio in tympano.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

adventitia subjecto, quam v. g. nubes rosca, in qua iris depingitur, excipit à sole, quæ quoquæ aliqualiter ab opacitate hujus sui subjecti obscuratur.

XV. AUDITVS organum est auris. Hujus pars exterior ad irruentes sonos colligendos ordinata, dicitur *auricula*, constans parte inferiore in modum antri excavata, cujus pars superior *ala*, sequens *ambitus gibbosus*, sequens *concha* dicitur, cavitas juxta meatum auditorium, in quo excrementa cerebri resident, *alvearium*, pars deniquæ inferior magis carnosâ, *lobus* appellatur. Pars auris in cranio recondita, sub initium meatû habet flexuosum instar cochleæ ad infringendos sonos; desinit ille in foramen angustum, quod *cacum* dicitur, ducitquæ ad substantiam quandam tenuem, quæ *aër innatus* dicitur, locus hunc aëre cõtineus *pelvis* dicitur: huic aëri membrana tenuis obtenditur, quæ quia densa, extensa & sicca est, *tympanum* vocatur, desinit illa in nervos auditorios devehendis spiritibus animalibus deservientes; fulcitur tribus ossiculis, quorum primum *incus*, alteram *malleolus* tertium *stapes* dicitur, quæ ossicula aliqui immota, alii mobilia putant, fierique

riq̄ue hîc aliquam percussionem. Auditio non fit in aëre innato, utpote qui animatus non est, & qui habet se respectu auditionis, sicut humor crySTALLINUS respectu visionis: sed in tympano, utpote quod continuatur cum nervis auditoriis, adëoquë cum ipsa cerebri substantia, habetquë se sicut retina respectu visionis. Objectum proprium adæquatum est sonus, qui est *qualitas producta ex percussione corporis sonori, sive ex collisione corporum sonivorum, per motum localem per medium propagata, auditu perceptibilis, sive movens potentiam auditivam ad auditionem*: Porro sonorum est corpus durum (vel permanentem, ut lapis, lignum, metallum, vel per accidens & transeunter durum, ut aër, aqua, lana &c. per motum velocem virgæ percutientis durata seu condensata) quod dum percussum totum in se tremit, & minutis veluti crispitationibus, quandoquë tactu perceptibilibus, concutitur, aërem quoquë repellit, imprimendo ei similes crispitationes, sicquë producit sonum qualitatem ab hoc vibrationis motu dictisque crispitationibus distinctam, per eas tamen propagandam. Hinc tria requiruntur ad producendum sonum,

num,

num, corpus percutiens, percussum & medium, in quo recipitur, & per quod propagatur sonus, quæ quandoquæ tria sunt corpora discontinua & diversæ rationis, quandoquæ duo, ut dum aër percussus virgâ sonat; ibi enim pars aëris durata habet rationem corporis percussæ & sonantis, alia pars aëris remanens rara cum priore continua retinet rationem mediæ. Causa efficiens soni est tam corpus percutiens, quàm percussum; dum enim corpus percutiens directè imprimat percusso motum vibrationis, est causa directa soni, dumquæ corpus percussum percutienti resistit, facit illud resilire, imprimat percutienti proportionalem motum vibrationis, & sic reflexè causat sonum. Causa materialis seu subjectum soni & specierum audibilium est corpus mobile hoc motu crispitationis, ad quem aptissima sunt corpora fluida v. g. aër, quamvis & alia solida, ut muri, etsi imperfectiùs sint transonantia; Nequæ est incredibile sonum penetrare in cubiculum undiquæ muris clausum, muros moveri hoc motu crispitationis (cùm illa murorum crispitatio etiam tactu percipiatur ad explosionem bom-

bombardæ. Quinimò fit hic crispitationis motus adhuc aliquo usque in aëre versus partem vento validissimo contrariam (versus illam enim adhuc percipitur aliquis sonus) etsi valde à vento impediatur, sicut fluvius rapidissime latus in unam partem, recipit adhuc motus crispationis & undationis in partem contrariam ex projectis in illum lapillis.

XVI. ODORATUS organum, sunt nares saltem in animabilibus perfectioribus; Bini narium canales ad cerebrum ascendentes discriminantur cartilagine, quæ *intersepta* dicitur; osque illis bipartitum, superponitur quod *cribrum* dicitur, utpote repletum foraminibus, inter quæ duo sunt majora singula singulis canilibus respondentia, quibus insident duo tubercula mamillarum papillis similia *caruncula mamillares* dicta, quæ inspiratione narium dilatantur, expiratione continguntur. Ad has carunculas terminantur duo canales ex una parte ad cerebrum pro devectione excrementorum cerebri servientes, ab altera ad palatum pro attractione aëris. Odoratio fit in dictis